

tum, ne qui deus ab Imperatore consecraretur, nisi a senatu probaretur: ut M. Æmilius de deo suo Alburno. Facit et hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu divinitas pensatur. Nisi homini deus placuerit, deus non erit. Homo jam deo propitius esse debet. Tiberius ergo, cujus tempore Nomen Christianum in seculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palaestina quod illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Consulite commentarios vestros, illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romae orientem Caesariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostrae etiam gloriemur. Qui enim scit illum, intelligere potest non nisi aliquid bonum grande a Nerone damnatum. Tentaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed quia et homo, facile coeptum repressit, restituit etiam quos relegaverat. Tales semper nobis insecutores, injusti, impii, turpes, quos et ipsi damnare consuevit, a quibus damnatos restituere soliti estis. Caeterum de tot exinde Principibus ad hodiernum, divinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorem Christianorum. At nos contrario edimus protectorem: si literae Marci Aurelii gravissimi imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precatione precationibus impetrato imbre discussam contestatur, sicut non palam ab ejusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore.

CAP. VI.

QUANTUM A PIETATE, ET MAJORUM SUORUM MORIBUS ROMANI
DESCIVERINT.

Quales ergo truces leges istae, quas adversus nos soli exercent impii, injusti, turpes, dementes, vani? quas Trajanus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos: quas nullus Hadrianus, quanquam curiositatum omnium explorator: nullus Vespasianus, quanquam Judaeorum debellator: nullus Pius; nullus Severus impressit. Facilius utique pessimi ab optimis quibusque, ut ab aemulis, quam a suis sociis eradicandi judicarentur. Nunc religiosissimi legum, et paternorum institutorum protectores, et cultores, respondeant velim de sua fide, et honore, et obsequio erga majorem consulta, si a nullo desciverunt? si in nullo exorbitaverunt? si non necessaria, et aptissima quaeque disciplinae obliteraverunt? Quonam illas leges abjecerunt, sumptum, et ambitionem comprimentes? quae centum aera non amplius in coenam subscribi jubebant, nec amplius quam unam inferri gallinam, et eam non saginatum: quae patricium, quod decem pondo argenti habuisset, pro magno titulo ambitionis senatu summovebant? quae theatra stuprandis moribus orientia statim destruebant: quae dignitatum, et honestorum natalium insignia non temere, nec impune usurpari sinebant. Video enim et Centenarias coenas a centenis jam sestertiis dicendas: et in lances, parum est si senatorum, et non libertiorum vel adhuc flagra rumpentium, argentaria metalla producta. Video et theatra nec singula satis esse nec nuda: nam ne vel hyeme voluptas impudica frigeret, primi Lacedaemonii penulam ludis excogitarunt. Video et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu disorimen relictum. Circa foeminas quidem etiam illa majorem instituta ceciderunt, quae modestiae quae sobrietati